

Lacrimae Vergilianae*

Vltima pars nostrae scripta est Aeneidos. urbem
Tantos per casus, per tanta pericla petitam
Conspicit Aeneas animo; mox moenia surgent
Exoptata diu, raptique ex hoste Penates
Antiquo in Latio sperata sede fruentur.
Devicisti, Anchisiade, Pallantis atrocem
Victorem Rutulum, raptus cui balteus ingens
Momentum fuit. est uxor tibi regia virgo
Matre carens; matrem nam mors informis ademit.
Ense tuo cecidit Lausus certamine iniquo,
Lausus opem patri dum fert pius. impius hausit
Troianum genitor iugulo Mezentius ensem.
Occidit Arruntis iaculo pharetrata Camilla,
Virgo Volsca, dolis praedaeque cupidine capta
Feminea. quid te memorem, Sidonia Dido,
Quam post tot benefacta pius Phryx prodidit, euro
Mobilior volucris, ut peteret sibi debita regna?
Sanguine non parvo stetit haec victoria Teucris.
Sed fortasse mea perlecta Aeneide dicet
Posteritas, teneris humectans fletibus ora,
“Victrix causa Iovi placuit, sed victa Maroni.”

Cambridge

H.H. HUXLEY

*A much-revised version of a contribution to *Latinitas* (Dec. 1978), p. 262